

I DE NUMERATIONE
DE NOMINIBVS NUME-
RORVM.

Grammatica hæc quidem commonefactio est, necessaria tamen. Artem enim quavis profiteri lingua, cuius voces ac loquendi usum ignores, quàm turpe est? Præstat certè scire Latinas numerorum voces, quàm vix tria verba præfari sine barbarie.

Sunt autem nomina numerorum ea, quæ numerum quemlibet exprimunt. Vulgo numeralia vocant. In his tria consideramus, Etymologiam, Syntaxin, & Orthographiam.

Numeralia igitur sunt triplicia, alia nomina, alia pronomina, alia aduerbia. Nomina rursus alia sunt primitiua, alia deriuatiua. Primitiua sunt cardinalia. Deriuatiua alia distributiua, alia ordinalia, alia relatiua.

Cardinalia sunt, quæ numerum quemvis absolute significant: sic dicta à cardine. Vt enim in cardine ianua vertitur: ita huius artis primum ac præcipuum negocium in his nominibus consistit. Appellantur & certa, & principalia, quod sine collatione cum alijs eos numeros denotant,

tant,